



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

li [i.e. vii]. Ad ejus actum requiritur cognitio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

adæquatum est bonum ( de quo multa vide  
 in causa finali ) Ad omnem ejus actum essen-  
 tialiter prærequiritur cognitio intellectus;  
 foret enim volitio tali intellectione destituta  
 voluntaria, utpote ipsum voluntatis exerci-  
 tium, & non foret, cum voluntarium sit id,  
 cujus principium est in agente sciente singu-  
 la, in quibus est actus, id est, est à princi-  
 pio intrinseco actu cognoscere, & nō tantum  
 exigente cognitionē; Hinc hæc duo: *amo Petrum*  
 & *non cognosco Petrum*: sunt virtua-  
 liter contradictoria. Hujus cognitionis  
 defectum quia supplere nequit Deus, du-  
 bium magnum est, num terminum voli-  
 tionis à se solo productum possit injicere vo-  
 luntati, sicut terminum intellectione intel-  
 lectui ( qui in eo casu adhuc esset imago ob-  
 jecti, quia Angelus, vel etiam homo per  
 aliam cognitionem illum intuens, in eo cog-  
 nosceret objectum, etsi per illum directè ni-  
 hil cognosceret intellectus, cui injicitur )  
 cum sit hic terminus essentialiter pondus  
 quoddam & inclinatio voluntatis in obje-  
 ctum, qualiter ea inclinari nequit in aliquid,  
 quod non cognoscit.

VII. Debet hæc cognitio primò esse in-  
 tellecti

tellectiva; cognitio enim sensitiva nō est proportionata appetitui spiritali, sicut nec ad volitionem supernaturalem sufficit cognitio naturalis. Dicitur itaque appetitus sensitivus post se trahere voluntatem, quia aliquando ob claritatem phantasmatis vivacissime bonum sensibile proponētis appetitus sensitivus tanto impetu fertur in bonum illud, ut intellectū non sinat rationes oppositas perscrutari, perscrutatas voluntati proponere: vel etiam movere voluntatem, quatenus appetitus hic occasio est, ut intellectus propter sympathiam proponat voluntati objectum, in quod appetitus hic fertur, & eo vehementius: quo vehementius ipse in illud fertur. Secundò sicut ad simplicem complacentiam sufficit simplex apprehensio bonitatis, sic ad volitionem efficacem requiritur iudicium, seu saltem apprehensio iudicio tali æquivalens de possibilitate obtinendi objectum. Tertiò ad volitionem liberam requiritur cognitio objective indifferentis, id est, repræsentans rationes boni & mali. Non requiritur tamen ad omnem actum voluntatis iudicium intellectus practicum, quo repræsentetur voluntati, quasi cum aliquo imperio: hoc hic & nunc est.

est faciendum; quodq; sit ultimò ita deter-  
minans voluntatem ad actum, ut ea in sensu  
composito hujus judicii non possit velle con-  
trarium; repugnat enim id libertati, utpote  
quod prævenit libertatem; ( si enim ponitur  
liberè seu consequenter ad actum liberum  
voluntatis, vel oritur, postquam voluntas se-  
sivit ab objecto moveri, jam datur motio vo-  
luntatis, quæ nihil est præter positivum actum  
voluntatis, vel etiam actus liber voluntatis  
ante tale judicium, adeoq; illud non prærequi-  
ritur ad omnem actum voluntatis) & habitum  
non potest non determinare ad actum. Per  
quæ tamen non negamus, ad hoc, ut volun-  
tas quid velit efficaciter requiri judicium de  
convenientia & bonitate objecti. Unde dum  
quis interrogatur, cur hoc vel illud fecerit,  
bene quidem dicit; quia judicavi illud esse  
mihi bonum vel jucundum, vel honestum,  
( quale judicium non est ultimò determina-  
tivum) vel etiam, quia judicavi sic esse facien-  
dum in ordine ad talem finem: & non abso-  
lutè semper: quia judicavi sic esse faciendum,  
aliàs mentiens foret hæreticus, utpote ha-  
bens hoc judicium: hinc & nunc est mentien-  
dum; cum tamen de fide sit, nunquam esse  
mentiendum.

VIII. Non influit cognitio in volitionem, sed habet se per modum meræ conditionis, & sicut in physicis se habet approximatio, approximans objectum voluntati; quamvis in eo ab approximatione physica differat, quòd ea suppleri possit à Deo, causaquè agere in distans. Proposito enim per cognitionem objecto, & præeunte hoc lumine, voluntas habet sufficientem vim, ut absq; physica coëfficientia cognitionis eliciat volitionem, qualè vim intellectus nō habet, ut posito phantasmate, absquè specie impressa ponat intellectionem, vel etiam, ut absq; ejusdem phantasmatum coëfficientia ponat hanc speciem impressam.

IX. Ad denominandam voluntatem simpliciter liberam, seu ad rationem liberi arbitrii sufficit, eam esse liberam libertate contradictionis ( etsi de facto in nobis quoq; libera sit libertate contrarietatis ) non tamen sufficit, esse liberam libertate spontaneitatis, seu liberam libertate à coactione; foret enim aliàs omnis volitio libera eo ipso, quòd esset volitio, cùm omnis volitio sit ipsa actualis inclinatio seu appetitus elicitus, adeoq; nō contra appetitum elicitum renitētem, adeoq; libera à necessitate coactionis. Quinimò, si nomine  
liberū